



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Solutio Patris Gillij in verbis Christi Domini Joannis XVII. fundata diluitur
ac refutatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quæst. I. Vtrum dem. poss. Deum esse. 147

sapientiam huius mundi, id est stultam ostendit, sic enim in creatione stultum ostendit Deus illud axioma philosophicum, ex nihilo nihil fit; sic in incarnatione stultum ostendit illud, Deus corpore, loco tempore claudi nequit; in passione illud Deus pati, & mori non potest; tandem in Eucharistia ostendit stultum, accedens non potest esse sine subiecto, corpus nequit esse in puncto, duo corpora non possunt esse in eodem loco, licet hæc naturæ non tamen Deo possibilia sunt: ergo loquitur Paulus non de cognitione Dei ut Deus est, sed de Christo ut Deo.

39 Ad confirmationem illam optime respondet P. Suarez his verbis [respondeo primo non negasse veritatem hanc demonstratam, nisi qui attente illius demonstrationem considerare noluerunt, aut non potuerunt, vel ex defectu doctrinæ & ingenij, vel ex aliqua nimia cupiditate, qua præsertim obcæcantur politici nostri temporis, qui in atheismum declinant. Secundo dicimus non omnem demonstrationem esse æque facilem, & notam; aliqua enim est vera demonstratio quia, quæ de se intellectum bene dispositum convincit, non est tamen tam clara, quin proterius possit resistere, semper tamen hoc provenit ex aliqua cæcitate mentis nolentis ponderare vim præmissarum, vel illusionis; unde Nazianzenus, *orat. 2. Theolog.* [nimis inquit] absurdus, & præposterus est, qui non cedit argumentis naturalibus evidentiis utique, & inficiatur Deum esse] ecce Nazianzenus, in quo maxime fidebat P. Vasquez evidentiis omnibus contra ipsum loquitur; unde ex his verbis, quibus se explicat sanctus hic Doctor & ex his verbis, quibus quam supra adduximus *subsect. 1. prope initium illius*, ubi varios Doctores citauimus, inter quos ipsum Nazianzenum, verborum, quæ profert ipse Nazianzenus *orat. 34. q. 2. de Theologia*, satis aperte liquet nullum Doctorem reperiri, qui fauceat opinioni contrariæ.

40 Ad alteram confirmationem respondemus 1. ideo Deum prouidisse vt homines fide potius quam naturali discursu ambulant, quia ille infirmus est, & non potest omnibus esse communis. 2. dico, fingamus homines in pura natura sine fidei reuelatione necessarium fuisse, vt vulgus hominum ignorantium, & simplicium crederet suis maioribus; quod in hac veritate esset facillimum, & conueniens, facile quidem, quia licet non posset omnibus res esse perfecte nota, tamen ipsa veritas proposita cum aliquali declaratione ex effectibus notissimis est per se credibilis, ac valde probabilis; conueniens autem esset, quia in re tam graui non expediret, vnumquemque de populo duci suo solo iudicio, & apparenti verisimilitudine; oportere ergo sapientibus, & maioribus fidem habere, talis autem fides remote niteretur in certa assertionem aliorum quæ non posset esse ita certa, nisi esset etiam euident.

SVBSECTIO IV.

Solutio Patris Gillij in verbis Christi Domini Ioannis 17. fundata diluitur, ac refutatur.

41 Pater Gillius *lib. 1. tract. 8. cap. 5. §. dixi autem;* volens fugere vim verborum Pauli pro nobis adductorum ad probandum Dei cognitionem esse euidentem ex creaturis præcipue illorum, manifestauit, conspicuntur; sic ait, illa vero videri, manifestari, *P. Tom. II.*

festari, conspici non necessario inferunt assensum euidentem, non manifestare; hoc enim accipitur in scriptura etiam pro manifestatione ineuidente; imo & quæ solam opinionem gignat; nam Christus dixit *Ioann. 17.* [Pater manifestauit nomen tuum hominibus] verbum autem videri etiam abstrahit à quouis genere notitiæ euidentis, & ineuidentis, nam de uisione per fidem dixit Christus *Ioann. 14.* [Philippe qui videt me, videt & Patrem:] sic Gillius;

Quam solutionem, licet meo videri, euidenter supra refutauimus, *sect. 2. à §. sed contra solutionem horum, usque ad subsectionionem 1. ex decreto Concilij Tridentini*; nihilominus in specie & in particulari sic eam labefacto, probando Christum Dominum euidentia in attestante, quæ rigorosam euidentiam in rem attestatam refundit, manifestasse nomen Patris, ac proinde Christum, ad significandam eam euidentiam vltim fuisse verbo, manifestauit, quæ claritatem, & euidentiam denotat: ergo male se protegit Gillius tali loco ad probandum verbum, manifesto; quo vtitur Paulus, aliquando in scriptura significare non euidentem, sed obscuram cognitionem, qualis est cognitio fidei.

Quod autem Christus euidentia in attestantem manifestauerit mysterium Trinitatis, ac proinde excellentiam Patris, patet manifeste, quia Christus sapissime ostendebat, se esse Deum, aut minimum nomine Dei loqui referendo secreta cordium illorum, vt patet *Lucæ 11.* ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis; &c. & *Matth. 9.* cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit vt quid cogitatis mala in cordibus vestris; quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata, an dicere; surge, & ambula; &c. & *Lucæ 5.* vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum respondens, dixit ad illos; quid cogitatis in cordibus vestris, &c. *Matthæi 12.* Iesus autem, &c. ergo euidenter ostendebat, se loqui verum in omnibus, quæ docebat; patet consequentia, quia Deus, vt postea demonstrabitur tota hac disputatione, nullo modo potest mentiri, aut mendacium dicere propter imperfectionem mentiendi, quæ non potest in Deum cadere; sed Christus est Deus: ergo euidenter colligitur, verum dicere, & non mentiri. Tunc sic omnis propositio, aut loquutio vera necessario infert eo modo esse obiectum quo significatur per illam: ergo si Christus dicebat, dari Patrem & mysterium Trinitatis prædicabat: ergo euidenter sequitur ex hac euidentia in attestante, vere dari Patrem, & vere reperi mysterium Trinitatis; sed loquens Christus Dominus de hac manifestatione nominis Patris per euidentiam in attestante, dicit se manifestare Patrem, & vsus est verbo, manifestandi: ergo verbum in hoc loco *Ioannis 17.* non significat cognitionem obscuram sed claram, & euidentem: ergo male assertit Gillius dicens in hoc loco verbum manifestare, significare solum cognitionem obscuram fidei.

Quod autem ex manifestatione secretorum cordium sequatur Deum esse qui loquitur, sic patet, quia euidentem est lumine naturæ & in fide sanctum non posse vllam putam creaturam cognoscere secreta cordium, & reuelare illa, ac proinde proprium esse Dei talia secreta reuelare; sed Christus Dominus, vt iam dixi, reuelabat secreta cordium, & ipsis cogitantibus quorum secreta cordium referabat euidentem erat; talia secreta propria à Christo reuelari: ergo euidentem illis erat, Christum talia reuelantem, & referantem Deum esse & autoritate diuina loqui. Maior est clara, vt

T z pater

pater ex Paulo 1. Corinth. 2. c. 14. num. 24. dicente.

[Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum pronuncians, quod vere Deus in vobis sit.] Ecce ubi aperte D. Paulus decernit, nulli creaturæ datum esse, sed solum ad Deum spectare occulta cordis reuelare; siquidem ex tali reuelatione inquit statim colligi, Deum esse, qui talia reuelat: quare in secundo cap. eiusdem epistolæ, dixerat idem Apostolus; quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, & ob eandem rationem solus Deus dicitur, posse hominum corda scrutari, 3. Regum 9. Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum, & primo Paralipomenon, cap. 6. tu enim solus nosti corda filiorum hominum, & Hieremia 12. paruum est cor hominis, & in scrutabile, quis cognoscit illud: ego Dominus scrutans cor, ubi Hieronymus [hinc discimus (inquit) quod nullas cogitationes secretaque cordis cognoscit, nisi solus Deus; cum autem Iesus videat cogitationes, & nullus possit internas cogitationes videre, nisi solus Deus: Christus ergo Deus est.] sic Hieronymus, ubi nostrum discursum aperte profert: ergo de fide est, non posse vllam creaturam, sed solum Deum secreta cordium referare, ac reuelare.

Quod autem sit evidens lumine naturæ, patet manifeste, & probemus hoc in Angelo, (de quo solo poterat dubitari, quia de hominibus, ut experientia docet, nulla potest esse rationabilis dubitatio) ex insufficientia actus primi illius, quia nimirum Angeli ex natura sua non sunt sufficienter constituti in actu primo ad eliciendam cognitionem actuum liberorum: ergo illos naturaliter cognoscere non possunt. Consequentia est evidens, supposito antecedenti; quia non datur actus secundus nisi detur sufficientia in actu secundo ad illum. Antecedens sic probatur; quia actus primus duo requirit ad sui sufficientiam, lumen videlicet, seu potentiam & speciem impressam in tali potentia, de lumine, seu potentia non est dubium; quia sufficientiam potentia datur in Angelo, nec enim hæc additur, aut minuitur, antequam cognoscatur, vel quando cognoscitur actus liber; unde solum dicendum est deficere speciem impressam, ex eo quod indebita sit Angelo, & cuiusque creaturæ; ratio autem, quare indebita sit talis species, est quia intellectualuale agens in his actibus liberis se gerit maxime, non solum ut agens naturale, sed potius, & præcipue ut morale, & ideo non debentur species talium actuum, nisi ut accommodata, & proportionata ordini morali, ad rectum autem moralem ordinem non esset accommodatum, neque conueniens ut creatura intellectualis haberet huiusmodi species actuum liberorum aliarum voluntatum; sic enim omnes liberi actus singulorum cæteris omnibus noti essent, quod est contra finem multitudinis, & societatis personarum intellectualium, & rationalium, & contra bonum ordinem sibi debitum; quia inde oriuntur odia, & contentiones, & specialiter demones acius possent in homines seuire, si eorum affectum intime cognoscerent ut reuera possent, si eorum species haberent: ergo bonus ordo moralis postulat, ne tribuantur tales species, sed potius ipsis indebita sint.

Deinde, quia si cognoscerentur omnes actus liberi, nulla daretur indifferentia ad bonum, &

malum; sed indifferentia ad utrumque est libertas: ergo nulla daretur libertas; unde dicere contra cognoscerentur omnes actus liberi est contradictio in adiecto, quia est supponere dari actum liberum & non dari. Maior sic probatur, quia ubi non datur exercitium liberum, & indifferens, nulla datur indifferentia in actu primo: atqui in illo casu minime se exercerent homines ad bonum, & indifferenter, neque possent se exercere, sed potius homines cogerentur necessario operari bonum, & non malum, & ne à superioribus poenis afficerentur, ab inferioribus murmurationibus prosequerentur, opprobriis, & contumeliis ab æqualibus; ac tandem ne in honore detrimentum paterentur, & minimum perfectam libertatem in tali exercitio non haberent, ut unusquisque de se potest recte iudicare: ergo licet Angelus cognoscat formaliter essentiam alterius Angeli clare & euidenter, & entitatem formalem animi rationalis, nihilominus non potest cognoscere formales actus liberos eorum, quia licet ij actus formaliter sint in illis, æquialenter tamen sunt euidenter, & se habent ac si tantum eminenter est solum quia in se non est formaliter, non possit cognosci ex eo quod solum sit in potentia indifferenti ad infinita; ita neque liberum formaliter existendo, quia per æquialentiam eminenter existit; ex iis, & aliis euidenter puto, nullam creaturam posse naturaliter cognoscere, ac proinde neque propria auctoritate loqui de secretis cordium cum veritate: ergo lumine naturali evidens est Deum solum posse cognoscere, & loqui de secretis cordium.

Secundo sic probatur, quod Christus manifestauerit suam diuinitatem euidenter; nam Christus reuelauit multa opera libera futura, & multa alia futura, quæ dependebant à voluntate Dei; sed Deus solus potest reuelare futura libera: ergo Christus, qui talia reuelauit, Deus est. Maior est certa: totum enim Euangelium plenum est prophetiis, inter quas celeberrima est illa Christi domini, qua loquens cum Petro Apostolo, negationem illius prædixit futuram, & liberam, dicens: *antequam gallus cantet, ter me negabis.* Item Christus reuelauit excidium Ierusalem faciendum à Romanis, propagationem Euangelij per vniuersum orbem, &c. ergo. Minor est clara; quia cognitio futurorum præcipue liberorum est propria dei; ut patet ex illo *Isaia 41.* Annunciate nobis futura, & dicemus, quia dii estis; ubi proprium Dei asseritur, cognoscere, annunciare futura, & loqui de eis; unde *cap. 46.* per eundem prophetam dicit Deus [Ego sum deus, & non prophetam dicit Deus [Ego sum deus, & non prophetam dicit Deus, neque est similis mei annuncians est ultra Deus, neque est similis mei annuncians ab exordio nouissimum & ab initio, quæ nondum facta sunt.] Quapropter Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, c. 5. sic ait: Deus quot facit prophetas, tot habet testes præsentiae suæ, & in *Psal. 138.* dicitur, intellexisti cogitationes meas de longe, hoc est futuras, ut omnes doctores Ecclesiæ explicant, & *Ecclesiastici 23.* Domino meo antequam creentur omnia sunt cognita, & Daniel cap. 3. tanquam proprium, & singulare hoc Deo attribuitur ibi. [Ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit in tenebris constituta,] supra quæ Hieronymus hæc profert [frustra ab hominibus quæris in terris, quod solus Deus nouit in celis.] hinc prophetia per quam hæc futura prædicuntur, ut ait D. Augustinus est signum certissimum, & euidentissimum diuinæ veritatis, & reuelationis, ut patet ex 1. Corinth. 14. ibi [Spiritus autem loquitur

loquitur mysteria; nam qui prophetat hominibus loquitur; ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.] Ecce Spiritui sancto prophetiam attribuit Paulus; non esset autem sufficiens signum diuinæ veritatis, nisi solus Deus posset illa futura cognoscere, vt recte docent Chrysostomus, homil. 2. in 1. ad Corinthios, & D. Thomas 3. contra Gent. cap. 154. & sumitur ex illo 2. Petri 2. habemus firmiter prophetice sermonem, & c. ratione cuius dicebat Origenes contra Celsum diuini sermonis caracterem esse futurorum prædictionem, & Iustinus Martyr, in responsionibus ad quæstiones Christianorum in 2. quæst. de his futuris, sic ait. [Quædam Dei sunt omnia, & verborum futurorum prædictio & rerum euentus, qui per Prophetas, & Apostolos ante prænuntiatur quæ futurus esset.]

47 Dices, non posse quidem creaturam certo cognoscere hæc futura in omnibus suis causis, quatenus in eis diuina voluntas comprehenditur, à qua etiam hæc futura pendent, quia nisi volente, vel permittente Deo non euenient; vnde quia creatura non potest scire diuinam deliberationem, ac voluntatem, ideo non potest ipsa certo cognoscere, & scire hæc futura; ex quo euidenter sequitur prædictionem certam futurorum esse signum diuinitatis, aut diuinæ loquutionis, in quantum sola diuinitas habet in manu, & voluntate sua omnem causam secundam, vt illam vel impediat, vel efficaciter ad agendum inelinet; vnde non erit contra hæc testimonia, neque contra fidem dicere, posse creaturam certam cognitionem habere, etiam illorum futurorum, quæ pendent à libero arbitrio, dummodo subintelligatur excepta ab hac regula diuina voluntas, & potestas.

48 Sed contra primo, euidenter ex hoc ipso sic argumentor, nulla creatura potest futurum illud cognoscere, quod à libera voluntate Dei pendet, & diuino consilio, aut permissione diuina est faciendum; sed omnia futura libera nullo excepto Deo volente, aut permittente futura sunt, quia nihil potest fieri sine dependentia ab aliqua ex his voluntatibus: ergo omnia futura libera sunt omnino incognita creaturæ.

49 Secundo contra, quia licet hæc futura vt cognoscibilia in causis maximam habent incertitudinem respectu omnis intellectus creati, quia à libera voluntate Dei pendent, nihilominus etiam est certissimum, ac de fide talia futura non posse ab illa creatura adhuc in sua proxima causa creata certo cognosci; quod patet euidenter 1. ex similitudine rationum; quia ratio ob quam in diuina voluntate non potest creatura etiam perfectissima cognoscere futura, bipartita est, quatenus voluntas diuina dupliciter considerari potest, scilicet vel euasi in actu 1. vt apta est ad volendum; vel in actu 2. id est vt iam volens. priori ergo modo non potest in voluntate diuina cognosci futuris effectus, quia de se indifferens, ac indeterminata est, & in causa indeterminata nihil determinatum potest cognosci; quæ ratio etiam probat Deum ipsum in se ipso, seu in sua voluntate sic expectata non posse cognoscere futura.

50 Posteriori autem modo potest Deus cognoscere futura quæ absolute vult; quia iam ipsa voluntas in actu non cognoscitur, vt futura, sed potius vt præsens, & cum illa effectus futurus habere potest infallibilem connexionem, at vero creatura non potest naturali virtute hanc Dei vo-

luntatem certo cognoscere, & ideo non potest in illa voluntate cognoscere futura.

Porro autem hæc ratio aequè probat de cognitione futuri effectus in causa libera creata seu proxima, quia eisdem duobus modis spectari potest & priori modo spectata, vt potentia nondum eliciens suum actum, etiam cum omnibus requisitis ad agendum applicata, est causa indifferens, & indeterminata: ergo in illa vt sic nihil determinatum potest cognosci; quæ ratio non solum de creatura, sed etiam de Deo probat; quoad cognitionem certam in causa. Posteriori autem modo considerata voluntate creata vt est sub actu suo, in hoc maxime differt à voluntate diuina, quod diuina non habet actum de nouo, neque in futurum aliquid vult, quod non semper, & ab æterno voluerit; quia non habet temporalem determinationem, sed æternam; voluntas autem creata prius caret actu, & postea illam habet, & quem nunc habet, postea mutat.

Vnde si actus ille consideretur antequam fiat, sub qua ratione est vere futurus, cognosci non potest in ipsa potentia quod sit certo futurus propter rationem dictam; scilicet quod causa est indifferens. Si autem ille actus iam supponitur factus, iam non cognoscitur futurus sed præsens: & per consequens non in causa, sed in se, verumtamen licet talis actus sit cognitus ipsi volenti, alios vero latet; quia non potest, vt supra diximus, vlla creatura cognoscere secreta libera; vnde si loquamur de alio effectu externo futuro, ex vi talis actus etiam ille non potest cognosci vt futurus est, quia vel ille effectus est simul cum ipso actu voluntatis, à quo manat et si iam cognoscetur vt præsens & non cognoscetur ab aliis in causa sua, id est in actu voluntatis, sed potius contrario in exteriori actu, & per ipsum, tanquam per exterioriorem effectum, interior voluntas cognoscitur. Si autem ille effectus non est simul cum actu interiori voluntatis sed postea futurus est, sic duplici de causa non potest ab illa creatura etiam perfectissima cognosci, scilicet quia non potest præsentem actum alienæ voluntatis cognoscere sua sola virtute naturali, & quia licet cognosceret præsentem actum, non posset scire, an in futurum duraturus esset, permutaretur voluntas; neutrum enim eorum in tali voluntate, vel actu eius determinatum est; & ideo neque effectus futurus independens potest in tali causa cum certitudine cognosci; vnde sit vt neque ipsa creatura possit id cognoscere circa seipsam.

In quo est infinita differentia inter Deum, & creaturam; nam Deus in suo decreto libero efficaciter certissime cognoscit futurum esse quod decreuit, quia huiusmodi decretum Dei est omnino immutabile; at vero creatura, licet hunc efficaciter proponat, se facturam aliquid, non certo scit in illo proposito id, quod se facturam proposuit, tum etiam quia fieri potest vt Deus illum effectum impediat.

Vnde confirmatur amplius, quia de se ipsa non potest creatura vlla in sua voluntate præscire, quid sit volitura, vel factura, vel an factura postea sit quod se facturam postea proponit, tum quia libere volitura est, tum quia nescit, an suum propositum sit mutatura; vt ipsa experientia patet; ergo multo minus de aliis id poterit cognoscere, atque hac ratione dicunt sancti, non potuisse malum Angelum virtute sua naturali peccatum proprium præscire prius

prius quam faceret illud; neque Angelum bonum esse potuisse de sua perseverantia securum, prius quam perseverasset, nisi revelatione divina, ut docet Augustin. lib. 2. *Genes. ad litter. cap. 17.* & lib. 11. *de civit. Dei, cap. 13.* quod affirmat Anselmus, lib. de casu Diaboli, cap. 21. probatque optima ratione, quia quod potest non esse ex eo quod indeterminatum sit ad essendum, & non essendum non potest determinate præcisci certa scientia; sed peccatum creaturæ, antequam peccet potest esse, & non esse: ergo non potuit certo præcisci.

55 Dices, his rationibus demonstrari euidenter non posse creaturam, etiam perfectissimam in voluntate præcisci futura, non autem illis conuinci non posse creaturam futura cognoscere in se ipsis; neque vlla ratione posse demonstrari.

56 Sed contra demonstro hoc hac ratione; quia concretum quatenus tale est, non potest cognosci, nisi cognoscatur forma, per quam constituitur in esse talis, siue concretum sit extrinsecum, siue intrinsecum, visum enim, amatum, aut intellectum, quæ concreta extrinseca sunt, nullo modo possunt quatenus talia euidenter cognosci, nisi cognoscantur visio, amor & intellectio, à quibus essentialiter, per modum causæ formalis constituitur.

57 Et ratio evidens à priori est, quia res non potest vilo modo cognosci sine essentia, & quidditate propria, alias illa esset essentia, & non essentia; definitio enim essentia, & quidditatis hæc est, siue qua neque esse neque intelligi potest res; sed formæ illæ sunt de essentia concretorum, quia concretum essentialiter constituitur à forma: ergo concreta illa nullo modo possunt cognosci, quin cognoscantur formæ illæ, à quibus constituuntur.

58 Tunc sic res futura quatenus futura nihil aliud est, quam res possibilis, ut volita ad hoc ut in tali tempore fiat, ita ut pro materiali dicat rem possibilem & pro formali actum liberum Dei decernentem, aut volentem permittere, ut in tali differentia temporis existat: ergo concretum extrinsecum est à diuina volitione essentialiter constitutum: ergo non potest futurum, ut futurum cognosci euidenter, nisi euidenter cognoscatur diuina volitio libera; sed talis volitio libera est incognoscibilis euidenter virtute naturali creaturæ intuitiue, quia videtur Deus abstractiue, quia quatenus rem futuram constituit nullum habet effectum necessarium, & determinatum, in quo cognoscatur; Item non habet causam: ergo nullo modo est cognoscibilis libera volitio Dei, &c. quod sine vlla probatione concedunt omnes, ut evidens lumine naturæ secundum illud; quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius.

59 Dices, verum esse quod futura res, ut futura reduplicatiue non possit cognosci à creatura, ne cognoscatur actus liber Dei, qui est quasi forma illius futuræ rei, nihilominus poterit creatura non propter futura, sed propter præsens in aliqua differentia temporis cognosci antequam sit, ubi non est res futura ut futura reduplicatiue, sed solum specificatiue futura, & in hoc modo cognoscendi non est necesse, ut cognoscatur actus liber Dei, ut ratio formalis extrinseca illius.

60 Sed contra euidenter, quia tunc (casu negativo) licet non cognosceretur manifeste decretum ut forma, nihilominus necessario cognosceretur decretum ut causa efficiens imperatiua, quia nul-

la res creata potest transire de statu possibilitatis ad statum futurationis, vel actualitatis pro aliqua differentia temporis, nisi per decretum liberum Dei actuale ab æterno quia, creatura futura, vel actualis non est à se, sed ab alio, scilicet à Deo libere, & intellectualiter agente, & libere decretante, quod res fiat pro tali, vel tali differentia temporis, & quod existat præsens in hac, vel illa duratione; quod evidens est lumine naturali, ut ex postea dicendis clarius patebit: ergo si creatura cognoscit effectum illum euidenter pro aliqua differentia temporis existentem & præsentem, euidenter etiam ex illo effectu cognosceret, dari decretum liberum Dei ab æterno, ratione cuius illa creatura habet quod transeat ab statu pueræ possibilitatis ad statum actualitatis pro tali, vel tali differentia temporis.

Verbi gratia, euidenter cognosco ex Petro nunc existente realiter dari decretum liberum ab æterno, quo voluit Deus, ut Petrus in hac differentia temporis existeret; sed creatura cognoscit nunc effectum futurum creatum: ergo cognoscit nunc dari ab æterno decretum liberum, quo voluit Deus efficaciter in tali differentia temporis futura esse rem illam futuram, quæ ut talis cognoscitur: sed decretum liberum Dei est incognoscibile, quod est pure internum, ut est decretum de re futura: ergo nullo modo potest cognosci res futura, non solum reduplicatiue ut futura, sed neque ut præsens pro aliqua differentia temporis antequam fiat; quia nihil est, quod actu manifestet illud decretum, cum actu res illa, quæ deberet manifestare ipsum, non sit actu, sed potius postea erit actu, & tunc sicut erit, manifestabit, ergo.

Tandem Christus per miracula resuscitando mortuos, sanando ægros, & alia id genus mirabilia patrando, suam diuinitatem ostendebat.

Secundo, sic probatur ex eo quod Deus habeat infinitam potentiam in operando potest facere aliquid ita de nihilo, ut nihil sui res illa factum actu præsupponat, scilicet materiam primam, quæ habet connexionem cum re faciendâ, ratione cuius faciat id, quod ex nihilo producit supposita solum possibilitate rei, & hic modus operandi est propria creatio, tam propria Dei, ut nulli creaturæ connaturaliter possit conuenire ut demonstro in physicis; sed Deus in cognoscendo est infinitus: ergo supposita solum cognoscibilitate rei poterit reddere rem cognitam à se ratione infinitæ cognitionis terminatæ ad illam, quæ nihil est actu, & nullo actuali cognito supposito pertinente ad talem rem, quæ cognoscitur actu à Deo, siue ut causa, siue ut effectus, & hic modus cognoscendi est ita proprius Dei ratione suæ infinitæ perfectionis, quia est quoddam quasi genus creandi, ut ita dicam per intellectiorem, ex eo quod scit cognoscere rem ex nihilo præsupposito intra rationem obiecti cognoscibilis; sed cognitio rei futuræ, ut futura est huiusmodi, cum neque præsupponat causam actu cognitam, neque effectum, &c. ergo talis cognitio ita est propria Dei, ut nulli creaturæ connaturaliter possit conuenire.

64 Vigeo hoc, & declaro amplius, quia omnis cognitio rei vel est abstractiva, vel intuitiva, abstractiva in causa vel in effectu, intuitiva per effectum intentionalem, hoc est per speciem impressam, quam debeat producere obiectum in intellectu cognoscentis actu, ut mediâ tali specie

Quaest. I. Vtrum demon. possit Deum esse. 151

specie intellectus producat cognitionem actualem rei cognita: sed nulla ex iis cognitionibus potest dari in creatura rei futura: ergo creatura nullo modo potest cognoscere rem futuram connaturaliter. Maior de cognitione abstractiva in causa est evidens, vt demonstratum manet iam; quia causa est libera indeterminata, & indifferens. De cognitione autem abstractiva in effectu reali est euidentior, quia res futura vt futura, & antequam actu sit, non potest actu producere effectum; ignis enim, qui erit tempore Antichristi non potest nunc actu urere; quia producere actu effectum realem actualem est dare esse actuale reale effectui; sed res, quae actu non est, & solum est futura non potest dare esse actuale reale, quia nemo dat, quod non habet; res autem futura non habet esse actuale villo modo: ergo res futura non potest producere actu effectum actualem realem, in quo abstractiue actualiter cognoscatur.

De cognitione intuitiua actuali etiam est propositio euidentior, quia cognitio intuitiua est cognitio immediata rei in se causata mediante specie impressa quam mittit actu, vel producit in intellectu actualiter intuitiue cognoscente res cognitae; sed futura res non potest actu producere speciem impressam in intellectu cognoscentis; quia talis productio est productio effectus actualis realis intentionalis, res autem quae actu non est vt futura nihil potest actuale reale producere: vt probatum est: ergo nulla potest dari actualis species impressa de futura re connaturaliter debita intellectui: ergo nulla potest dari cognitio intuitiua in intellectu alicuius creaturae naturaliter.

66 Vltimo sic probatur, quia futurum ab aeterno est futurum, & ab aeterno habet esse futurum a solo Deo per actum internum liberum sine aliqua intrinseca mutatione reali in ipsa re futura; sed solum per transitum, vel mutationem obiectiuam, & extrinsecam: ergo solum respectu Dei habet esse liberum; cum solum per decretum liberum habeat esse; sed cognoscibilis est eiusdem rationis, ac esse: ergo habet esse cognoscibile solum respectu Dei libere decretantis: ergo solum respectu Dei, & ab ipso solo potest cognosci, cum ab ipso solo cognoscatur decretum diuinum, ratione cuius habet esse futurum; vnde sicut nulla creatura potest cognoscere naturaliter quid, & quomodo decreuerit Deus aliquid ab aeterno; ita nulla creatura potest cognoscere rem esse futuram ab aeterno.

67 Tandem Christus innumera miracula fecit, quibus suam diuinitatem euidenter demonstrauit, quia miracula non possunt fieri nisi virtute diuinagm de ratione miraculi duo sunt, primum vt sit insolitum opus, & extraordinarium, vel in effectu, vel in modo; secundum vt opus sit tale, quod per naturales causas fieri non possit; huiusmodi autem fuisse opera, quae Christus faciebat, per se notum est; tum ex modo, quia subito sine vlla resistencia solo imperio hae faciebat, & morbos etiam incurabiles ad quamcunque distantiam sine impedimento interiecti corporis, & non ad modum agentium naturalium, sed imperio suo sanabat; tum etiam ex ipsis effectibus, quales sunt restitutio visus, & suscitatio mortuorum quae operationes fieri nequeunt, vel arte magiae, vel opera Daemonis, vt constat; quia nulla vis naturalis reducere potest animam semel a corpore diuulsam; nam licet Daemonis opera per secretam medicamentorum applicationem curari possint agri tudines aliquae, non tamen omnes, neque adeo graues, quales a Christo curatae fuerunt; neque suscitationes mortuorum vt diximus, & ideo

Christus *Matth. 12.* respondens malitiae Iudeorum, qui dicebant, ipsum eicere daemonia in virtute, & ex pacto Principis daemionum, & alia miracula eodem modo in virtute daemionis facere; vt ipsos convinceret, sic ait omne regum in se diuini sum desolabitur: vnde huiusmodi miracula aperte demonstrabant facta fuisse diuina virtute a Christo, quod Christus aperte docuit *Ioan. 11.* dicens [Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis;] nempe me esse Messiam verum Deum filium vnigenitum Patris, qui in testimonium huius veritatis, hae signa facit virtute Dei; & ad Martham dixit, [Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet,] videlicet, qui credit me esse Deum qui suscitare, & viuificare possum diuina virtute; vnde *Ioannis 5.* inquit Christus: Opera, quae dedit mihi Pater, vt faciam, ipsa sunt, quae testimonium perhibent de me, & *cap. 15.* si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; & ideo vnum ex signis, quod dederat Deus ad cognoscendum Messiam fuit quod mira opera esset facturus; vt constat *1saia 35.* quapropter vt perluaderet discipulis Ioannis Baptistae, & ipsi Ioanni se esse verum Messiam, & Deum, dixit *Matthai 11.* Ite, & renunciate Ioanni quae audistis, & vidistis, caeci vident, claudi ambulant, &c.

Itaque indubitatum est, miracula, etiam si a puris creatoris facta sint, vt ab Apostolis, non posse fieri, nisi virtute diuina; vnde Chrysostomus *hom. 10. ad populum Antioch.* dicit, Apostolos permisisse Deum flagellari, corporis morbos subire, carcerem habitare; ne propter miraculorum magnitudinem ab hominibus, vt Dij haberentur: verba eius sunt. [Quid autem in Apostolis fecit? quoniam signa multa faciebant, & miracula magna, & mirabilia, ipsos tamen continue flagellari permisit, pelli, carcerem habitare, corporis morbos subire, in continuis esse tribulationibus. Ne signorum magnitudo Deos ipsos apud homines patari faceret; propterea tantum largitus gloriam, corpus esse mortale permisit, multis vero valetudinarium, nec ipsorum valetudinem mutauit, vt naturam insinueret. Nec meus hic sermo, sed ipsius Pauli sic dicentis; si enim gloriari voluero, non ero insipiens; parco autem ne quis in me putet supra quod videt, vel audit aliquid ex me, & rursum; habemus autem thesaurum hunc in vasis fictilibus; quid autem est in vasis fictilibus? in corpore hoc inquit, mortali, & corruptibili, sicut enim testa ex luto, & igne fit; sic profecto, & corpus Sanctorum illorum, cum sit lutum, & spiritualis ignis efficaciam suscepit testa factum est. Et qua de causa hoc factum est, & thesaurum talem, & gratiarum copiam mortali & corruptibili intulit corpori? vt superabundantia virtutis sit a Deo, & non a nobis; cum enim videris Apostolos mortuos quidem suscitantes, ipsos vero aegrotantes, nec infirmitate se liberare valentes, manifeste scies, quod mortui resurrectio non ex virtute suscitantis, sed spiritus operatione facta est. Quod enim continue aegrotabant, audi quid de Thimothaeo dicat Apostolus, vino modico vttere propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas, & Philippensibus scribens dicebat, quod Epaphras aegrotauit prope mortem; si enim & cum hac essent ipsos Deos esse putabant, & sacrificare parabant dicentes, Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos, si haec non accidissent, ad quid impietatis miraculis conspectis tunc non processissent.]

Sic

Sic ille, ubi clare, & aperte docet miracula diuinitatem spirare; quod etiam D. Dionysius in *Epist. 4. quæ est ad Caium*, ubi cum dixisset, Christum ea quæ sunt hominis fecisse supra hominem, subdit [cuius rei euidentis indicium est Virgo excellentis miraculi nouitate concipiens, & aqua instabilis, ac fluida materialium terrenorumque pedum sustinens pondus, nec cedens, sed supermundana, admirandaque potentia constans ad materiam solidioris imaginem diuinitatis adminiculum demonstrans] idem docet *cap. 2. de diuinis nominibus, prope finem*, his verbis, [Ignoramus tamen quomodo ex virginis sanguinibus altero quam naturali iure formatus est, quoque pacto sicis pedibus corporale pondus habentibus, materiamque grauitatem liquidam perambulauit, instabilemque substantiam] quod clarius docuit Damascenus 3. *de fide, cap. 1. §. ibi*: [Quia supra quam humana conditio ferret ea, quæ erant hominum agebat, ut cum influxa & instabili vnda terrenis pedibus incederet, non indurata aqua, verum per eximiam diuinitatis potentiam ita comparata, ut minime difflueret, pedumque corporeorum grauitati cederet] quod elegantius docuit Augustinus *serm. 185. de tempore* ibi: [Cum vidissent discipuli Christum super tumentia maris dorsa substratis fluctibus ambulantem, & cum aquarum iter instabile sub diuinis solidaret, vnda famula vestigiis turbatos fuisse, &c.] nempe quod instar solidioris corporis vnda se habuerit sustinens gressus, & vestigia corporis grauis. Quod autem miracula euidenter demonstrant omnibus creaturis intellectualibus virtute diuina fieri, & de Angelis certissimum est, illi enim euidentissime cognouerunt diuinam virtutem factam; de Demonibus autem declaratur, quia euidenter experiebantur vim, & efficaciam humanitatis Christi in ipsos; deinde intuebantur animam, v.g. Lazari vere fuisse à corpore separatam, atque iterum eidem corpori coniunctam per veram informationem; similiter visum fuisse restitutum ei, qui illo caruerat; cum enim hi effectus licet supernaturali modo fierent in se tamen, seu in termino sint naturales, euidenter videntur ab Angelis prout in se sunt cognitione naturali. Et autem eidem Angelis euidentis, huiusmodi effectus illo modo non posse fieri naturali virtute, & ideo etiam mali Angeli tergiversari non poterant. Homines vero non potuerunt habere tam claram euidentiam, quia non possunt intime effectum in se ipsis naturis, sed solum quantum per externa signa apparere; nihilominus habere potuerunt tantam, ac tam sufficientem euidentiam, ut sine magna temeritate, & insigni malitia repugnare non possent, ut ipse Dominus *Ioann. 13. & 14.* testatus est, supposita veritate talium miraculorum, ut patet ex definitione miraculi, & ex proprietatibus nuper positis illius.

68 Quod autem illa miracula re vera talia essent, qualia apparebant, euidentis etiam esse potuit humana quadam & naturali euidentia; idque constare poterat vere euidenti experientia; quis enim dubitare posset, eum, qui triginta, & octo annis subito visus est lectum suum portare vere fuisse sanatum: similiter erat euidentis, hominem cæcum à natiuitate, vere caruisse visu & similiter manifeste constare poterat, ipsum postea vere vidisse; tandem quis poterat dubitare de morte Lazari, siquidem Scriptura ait, quattuordecim factum in sepulchro, aut monumento positum ad viuos reuocasse Christum; nam & factor corporis, & sepultura illius per quatuor dies euidenter demon-

strabant animam exhalasse Lazarum; postea autem opera omnia vix illud liquido demonstrabant vere post miraculum illud liquido demonstrabant vere mortuum, ac vere suscitatum esse à Christo, Deinde ex multitudine talium operum, quorum effectus erant diuturni, & perseverantes & in nullo eorum inuenta est fallacia, vel deceptio, cuius euidentis signum est, quod cum sapius, & multo tempore, & inter hostes suos, qui maximo odio illum prosequerantur, hæc fuerit Christus operatus, nunquam tamen illi obiecerunt deceptionem, aut falsitatem, in huiusmodi operibus, neque enim vnquam ausi sunt negare, vel Lazarum vere fuisse suscitatum, vel cæco à natiuitate visum vere restitutum, quamquam interdu ignoranter, & impudenter calumniarentur, hæc fieri ex pacto cum Dæmonibus, quasi vero ipsi Dæmones talium operum auctores esse possent.

Itaque ex his tribus generibus operum, nempe ex reuelatione secretorum cordium, ex prophetia futurorum liberorum, & ex miraculis petitis à Christo euidenter demonstrabat ipse, se esse Deum.

Quod autem supposita tali demonstratione euidenter etiam constaret quidquid loquebatur, non posse esse falsum, sed verum, est manifestum; quia Deus adhuc de potentia absoluta non potest mentiri; sed si falsum diceret Christus, qui est Deus, mentiretur: ergo Christus, nec de potentia absoluta potest falsum dicere: probatur minor, primo quia mentiri est falsum dicere, cum intentione decipiendi, ut docet Sanct. August. *10m. 4. lib. contra mendacium, cap. 12.* in hac autem assertionem falsi intrinsece inuenitur malitia, seu deordinatio; cum enim ea, quæ alteri dicuntur suapte natura deferunt ad manifestandam illi veritatem, ut ita possit esse mutua eo loquutio, & communicatio digna substantiis intellectualibus, eo ipso quod quis falsum dicat, ut decipiat, detorquet loquutionem ad finem illi contrarium. scilicet ad fallendum, ac proinde inuenitur naturam illius, & sic facit actum vitiosum & cum malitia mendacii, ut ait D. Thomas 2. 2. *q. 110. art. 3.* Tunc sic per vos Deus diceret falsum ad decipiendos homines: ergo diceret formaliter mendacium, & formaliter mentiretur; maliter mendacium, & maliter mentiretur; deinde probatur illa minor, quia mentiri est contra mentem ire, ut docent omnes Patres, & Theologi, præcipue D. August. *lib. contra mendacium, cap. 8. & 9. & lib. 7. de ciuit. Dei, cap. 6.* hoc est dicere aliter ac cognoscit, id est dicere contra ea, quæ per mentem, & intellectum cognoscit, qui dicit; sed Deus dicens falsum contra mentem propriam irret; diceret enim aliter, ac in se cognosceret, & contra id quod per mentem & intellectum cognoscit: ergo mentiretur, quia Deus formaliter. Minor hæc est euidentis, quia Deus omnia verissime cognoscit, intuitur, videndo ea quæ sunt eo modo quo sunt: hoc enim pertinet ad infinitam, & excellentissimam diuinæ sapientie, & omni scientiæ perfectionem, & eminentiam; itaque impossibile est, ut Deus falso cognoscat rem, alias non erit infinita sapientia, &c. atqui deus dicens falsum non diceret rem ut cognoscit, sed potius opposito modo, ac cognoscit, quia cognoscens verum diceret falsum; & verum, & falsum sunt opposita, & cognoscens rem eo modo, quo est, posita, & cognoscens rem eo modo, quo est, diceret illam aliter, ac est: ergo Deus dicens falsum contra mentem irret: ergo mentiretur, &c.

Maiores

71 Maior illa sic probatur, quia mendacium est intrinsece malum ex natura sua, quod esse de fide sentit August. *heresi 70. Et in lib. de mendacio, & contra mendacium*, & sumi potest ex capite super eo de *usuris*, quatenus ibi dicitur secundum diuinam scripturam non esse licitum mentiri, etiam propter tuendam vitam. Itaque quaedam sunt intrinseca mala, quae prohibentur, quia ex se mala, & non e contra, vt odiu Dei, desperatio a bonitate diuina, blasphemia, haeresis &c. vt in materia de peccatis late probauimus, & in materia de legibus omnes cum D. Thoma grauioribus Theologi proponunt, & ratio est manifesta.

72 Quia sicut in aliis rebus quaedam sunt ex se contraria naturae vniuersi cuiusque rei, seu illi disconuenientia, vt venenum, ex natura sua est malum naturae animalis, frigiditas est opposita calori; ita etiam naturae intellectuali quaedam sunt per se, & extrinseca ratione illi contraria, & disconuenientia quae respectu illius mala sunt & facta libere sunt mala moraliter; vnde licet haec respectu creaturae semper sint lege prohibita; quod Paulus *ad Rom. 3.* intendit, non tamen sunt mala, quia prohibita, sed potius prohibentur, quia mala, nam hoc spectat ad sapientem Dei prouidentiam, & ideo quae huiusmodi sunt, si suam rationem formalem obtineant, Deo etiam repugnant; quia etiam est natura intellectualis, & infinite bona; summo autem & infinito bono repugnat omne malum, etiam si per legem illi prohibuitur sit.

73 Huiusmodi autem malum est mendacium, vt & ipsi etiam barbari sentiunt, quia est valde dissonum naturae intellectuali; eo quod euerat ordinem eius, & sit contra finem & necessitatem verborum, seu loquutionis rationalis; nam ad hoc est institutum a natura verbum externum, vt per illud significemus internum, & ita possit esse inter rationales naturas societas, & fidelitas, seu fiducia; totum hoc destruitur, si verba non consonent menti; & ideo hoc ipso quod verbum est contra mentem, signum est per se dissonum esse rationali naturae, & hoc est esse per se intrinsece malum; & hinc vltius concluditur nunquam posse honestari propter bonum finem, si retineat rationem falsi signi contra mentem; quia ab illo est inseparabilis malitia, & nunquam licet facere malum, vt inde eueniat bonum.

74 Imò addit acute August. *lib. de mendacio, cap. 8.* multo magis destrui naturae institutionem, si dicamus aliquando licitum esse mendacium, quomodo enim inquit credendum est illi, qui putat aliquando esse mentiendum; nam forte tunc mentitur, quando praecipit; vt illi credamus; & paulo post, quo admissio omnis omnino disciplinae fidei subvertitur.

75 Et ex eodem principio concluditur non posse mendacium fieri licitum, etiam ex dispensatione diuina, quia non potest Deus intrinsecam naturam rei, & essentiam mutare; vnde quidquid sit, an possit Deus auferre suam prohibitionem, nihilominus hoc etiam dato mendacium retineret maliciam, quam ex se habet, & in hoc sensu dicunt Theologi ea quae sunt intrinsece mala non recipere dispensationem etiam diuinam.

76 Confirmatur, nam etiam si per impossibile excusari posset homo a malicia mendacij propter aliquam urgentem necessitatem vitae, vel honoris, quam sine mendacio vitare non posset, in Deo non haberet locum talis excusatio. 1. quia nunquam potest Deus indigere mendacio ad aliquem bonum finem consequendum, iuxta illud *1. Th. 13.*

I. P. Tom. II.

nunquid indiget Deus vestro mendacio? Et ideo valde reprehenduntur ministri Dei, qui mendaciis vel falsis reuelationibus vtuntur ad fidem confirmandam, vel virtutem persuadendam; vt videre est in Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 3.* & ratio est quia Deus est omnipotens; & sapientissimus, ideoque non potest illi deesse medium honestum ad finem suum consequendum absque mendacio; vnde etiam Plato *lib. 2. de republ. in fine*, dixit, mendacium semper esse indignum Deo etiam si homini interdum possit esse vtile.

Secundo specialis repugnantia respectu Dei, quia per quodlibet mendacium etiam minimum amitteret suam supremam auctoritatem; hoc autem maius detrimentum esset, quam possit esse utilitatis in quocunque mendacio; praeterquam quod impossibile est, quod velit Deus se priuare summa quaedam, & infinita auctoritate, quae ad suam perfectionem, & prouidentiam maxime necessaria est.

Et hanc ob causam licet mendacium simplex de se sit veniale peccatum, confirmare illud sub iuramento semper est mortale peccatum, quia facere Deum testem vel minimi mendacij, est illum priuare tota sua infallibili auctoritate, & ideo etiam euidentius est nunquam licere homini peierare propter extremam necessitatem quam simpliciter mentiri.

Sed denus ex falsi assertionem non sequi mendacium in Deo, nihilominus ipsa falsi assertio non potest in Deum cadere, quia falsum cognoscere est defectus intelligentis, ac imperfectio illius, ideoque non attribuitur Deo; sed falsum dicere est etiam imperfectio dicentis; quia est defectus dicendi vere, & vere dicere est perfectio; dicere falsum est dicere cum defectu perfectionis: ergo nullo modo potest, nec de potentia absoluta Deus dicere falsum, quia nec de potentia absoluta potest esse imperfectus, cum essentialiter identice sit infinite perfectus; sed si haberet imperfectiorem in dicendo esset imperfectus; ergo adhuc de potentia absoluta non potest dicere falsum.

Confirmatur, quia falsitas est malum naturae intellectualis; ergo qui vult alteri suadere falsitatem, vult aliquod malum oppositum naturae intentionali: ergo vult obiectum inhonestum, ac proinde vitiosum; patet consequentia, quia illud est inhonestum, quod opponitur bono proprio naturae intellectualis; sed Deus nec de potentia absoluta potest velle obiectum inhonestum; quia ex vi formalissima inhonesti libere voliti vellet obiectum inordinatum, & peccaminosum, nulla enim alia est inordinatio in actu quae sit peccaminosa, nisi inhonestas actus libere voliti: ergo euidenter sequitur omnem loquutionem Dei esse veram, & proinde Christum vere loqui, in omnibus quae loquitur, quia Deus est.

Ex quo etiam euidenter colligitur, mysterium Trinitatis testificatum a Christo Domino vere dari a parte rei, ac per consequens etiam Patre aeternum, qui est prima persona Trinitatis, cuius nomen manifestare intendebat Christus, vere existeret; sequela sic probatur, quia cognitio causae necessario deducta ex euidenti cognitione effectus est euidentis simpliciter, & absolute; sed cognitio rei testificata deducta ex euidenti veritate propositionis vere testificantis talem rem, est cognitio causae necessario deducta ex euidenti cognitione effectus: ergo est euidentis simpliciter, & absolute. Maior & ab ipsis datur aduersariis, & extorquetur, quia eiusmodi cognitio constituit alteram speciem demonstrationis, nempe quia; est autem omnis demonstratio euidentis simpliciter, & generat scientiam.

V

Minor

82 Minor probatur primo, quia hæc est vera causalis, quia Deus est trinus, & vnus, in qua Trinitate datur Pater æternus, hæc propositio affirmans tale mysterium est vera; quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, id est quia obiectum in se est tale, quale enunciat, ideo enunciatio est vera; & ratio euidens à priori est, quia obiectum est causa finalis, vel formalis extrinseca propositionis; cum propositio specificetur, & dicat ordinem essentialem ad obiectum, tanquam ad id, à quo sumit suam essentiam; quare sine vlla dubitatione optima est illa causalis, quia obiectum est tale, reuelatio, seu propositio est vera; quapropter cognitio obiecti deducta ex cognitione euidens propositionis veræ est cognitio causæ ex effectu, & sic erit demonstratio, quia.

83 Confirmatur, existentia obiecti, & veritas actus affirmantis illud, non sunt disparata, sed vnum dependet ab alio: atqui obiectum non dependet à veritate actus: ergo veritas actus pendet ab obiecto: ergo cognitio obiecti ex veritate actus, seu propositionis est cognitio causæ per effectum; vnde si is qui affirmavit, Petrum esse album, rogetur utrum verum dixerit: respondebit affirmatiue; rogatus autem vnde sciat se dixisse verum: respondebit, quia scit Petrum esse album; igitur obiectum regula veritatis propositionis, quod si ipsum obiectum includatur in veritate actus, efficacius est hoc argumentum; quia non poterit euidenter cognosci veritas actus, quin & ipsum obiectum; si autem veritas se teneat adæquate ex parte actus, manet argumentum cum suo robore.

84 Secundo probatur eadem minor, quia propositio de mysterio Trinitatis est quasi causa vt ita loquar, & ratio obiectiua scientiæ visionis de illa: ergo etiam est ratio obiectiua, seu causa remota omnium effectuum scientiæ visionis; quia quod est causa, vel quasi causa causæ est causa causati, & constituitur in serie causarum talis effectus. Antecedens autem est manifestum, quia ideo Deus videt existentiam Trinitatis, quia est talis existentia, & non è contra; tunc sic, sed reuelatio, seu propositio de Trinitate est effectus scientiæ visionis de ipsa Trinitate: ergo reuelatio, seu propositio est effectus ipsius Trinitatis. Probo minorem, quia loquutio est effectus scientiæ de obiecto, quod loquimur, vt dixit Christus, quod vidimus testatur, & quod scimus loquimur; nam verba sunt signum naturale iudicii de re dicta in eo, qui loquitur infallibiliter verum; si autem mentitur, verbum est signum naturale apprehensionis internæ, & secundum leges morales; non debet oriri nisi à iudicio conformi verbis, ex quibus concludo, cognitionem de Trinitate deductam ex euidenti cognitione reuelationis, aut propositionis veræ, esse cognitionem causæ per effectum.

SVBSECTIO V.

Solutiones Adversariorum refutantur.

85 Dices primo obiectum esse causam remotam reuelationis, & non proximam.

Sed contra: causa remota necessaria vnica demonstratur euidenter per effectum remotum necessario fluentem mediate à tali causa; quia ab effectu remoto ad proximum, à quo pendet remotum valet consequentia; à proximo autem valet ad causam remotam, ea ratione inter demonstrationes, quia primo loco ponitur demonstratio perfe-

ctissima primæ proprietatis per essentiam; deinceps ponuntur ceteræ demonstrationes quæ sunt remotæ respectu essentiae; vnde ex euidenti cognitione reuelationis Dei, aut loquutionis Christi infertur immediate, & euidenter scientia Dei de obiecto reuelato. Ex hac autem scientia Dei infertur euidenter mysterium reuelatum: ergo semper ex effectibus ad causam infertur euidenter mysterium ex reuelatione.

Dices eam reuelationem, seu propositionem Christi non existere, quia est Trinitas, & persona prima Patris, sed quia Deus vult.

Sed contra primo, quia licet existentia Trinitatis &c. non sit tota ratio ob quam loquutio vera Christi existit, tamen est causa partialis vt existat; cognitio autem euidens causæ partialis ex effectu spectat ad demonstrationem, quia: ergo & hæc maior patet, quia voluntas reuelandi quasi pendet à scientia obiecti; est enim hæc euidens consequentia; Deus vult reuelare mysterium Trinitatis, & existentiam Patris æterni: ergo Deus scit tale mysterium; hæc autem voluntas non potuit esse sine scientia; scientia autem potuit sine voluntate: ergo voluntas quasi pendet à scientia, & non è contra scientia à voluntate.

Vrgetur efficacius, quia licet voluntas diuina sit causa efficiens propositionis veræ de Trinitate, nihilominus non est causa finalis, aut formalis extrinseca specificatiua, seu obiectum quod specificat talem reuelationem, aut propositionem; vnde licet tanquam à causa efficiente dependeat à voluntate diuina, nihilominus tamen tanquam ab obiecto specificante dependet etiam ab existentia ipsius mysterii reuelati; vnde falsum est dicere in hoc genere causæ non esse veram hanc causalem, ideo vera est propositio dicens dari mysterium Trinitatis; quia tale mysterium datur, imò in toto rigore loquendo de veritate propositionis, vt veritas est formaliter sumpta est vera sola hæc causalis, vt patet ex terminis, & ex illo principio, ex eo quod res est, &c.

Præterea voluntas Dei non est alio modo causa reuelationis, quam aliarum rerum, nempe applicando omnipotentiam ad effectum, vnde hæc propositio causalis, homo est quia Deus vult, non excludit causas necessario existentes in Deo, sed includit redditque hunc sensum, homo existit, quia Deus habet scientiam, & omnipotentiam applicatas per voluntatem ad faciendum hominem, ita reuelatio est, quia Deus vult applicare omnipotentiam præsupposita cognitione, & existentia obiecti reuelati: ergo sicut ex hac propositione, homo est, infertur euidenter scientia, & omnipotentia Dei, vt causa existentie hominis, ita infertur scientia, & existentia obiecti reuelati, vt causa reuelationis.

Secundo contra; quamvis obiectum non sit causa immediata, vt reuelatio existat, tamen est causa immediata vt sit vera: ergo ex euidenti cognitione veritatis reuelationis, aut propositionis infertur obiectum ipsum, vt causa immediata: probo antecedens, quia non est alia ratio, ob quam propositio sit vera in ratione veritatis formalis, nisi quia obiectum ita est, certitudo enim aliunde oritur, quam ab obiecto; est enim determinatio iam oritur ab actus veritatem, quæ determinatio iam oritur ab actus euidencia, iam à supernaturalitate; at veritas formaliter quia consistit in adæquatione actus cum obiecto, pendet absolute, ac simpliciter ab ipso obiecto, non in existentia efficienti: sed in regulatione sui conceptus; vnde veritas existens ducit immediate in principia actiua ipsius veritatis, & in existentiam obiecti.

Dices